

**Exercitium academicum de
Erico IX, sive sancto, quod
... præside amplissimo...**

Törner, Fabian,

1700-1829: 25 T 1 b Br.




TÖRNER

Hise Lu.

Foze F.I

(Ba)

1700-1829



6

144
Hist. Sv.
Före GI
(Br)
1700-1829

D. D.
EXERCITIUM ACADEMICUM
De
ERICO IX,
sive
SANCTO,

QUOD
*Adprobante Ampliss. Facult. Philos.
in incluta Academia Upsalensi,*


PRÆSIDE
AMPLISSIMO VIRO,
MAG. FABIANO

E S R E R /
Eloq. Profess. Reg. & Ord.

Publice examinandum sistit
S:Æ R:Æ M:TIS
Alumnus

PETRUS HÖÖR
SCHVANTESSON

*In Auditorio Gust. Maj. ad diem 5 Martii
Anni MDCCXII. = 1712.*



UPSALIÆ,

Literis J. H. WERNER, Regi Typogr.



Reverendissimo
In CHRISTO PATRI
DN. HAQUINO
SPEGEL,

S. S. Theol. DOCTORI Excellentissi-
mo, Regni Sveciæ ARCHI-EPISCOPO
Eminentissimo, Academiæ Upsalensis
PRO CANCELLARIO Magnificentissimo,
Consist. Eccles. PRÆSIDI
Gravissimo,

MÆCENATI ac PATRONO
MAXIMO.

Nimis audax sane videbor, Reveren-
dissime PATER, quod levibus hisce co-
natibus meis, nulla re alia, quam argu-
mento censendis; a Reverendissimo No-
mine Tuo lucem mutuari gestiam. Sed
summus ac verbis nunquam satis a prædi-
candus favor, quo omnes literarum cultor-
es, amatoresque beare benignissime soles,
audaciæ meæ culpam diluet. Et quia Reve-
rendissime



rendissime ARCHIEPISCOPE, Upsalensi-
um Musarum PARENS, Ipse Te offers desi-
deriis nostris, votisque; tanquam ad Patrem
filii accedimus, primitias studiorum nostro-
rum Tibi offerimus, spesq; nostras Tuæ be-
nivolentiæ commendamus. Ac licet ego sim
inter primos, qui benivolentiæ Tuæ latis-
sime patentes sinus sollicitant, non alium
tamen locum mihi expeto, quam qui sit ul-
timus; quum sic quoque beatus sim evasu-
rus. Ero tunc enim inter Reverendissimæ
PATERNITATIS Tuæ clientes, quibus im-
mixtus precabor semper, velit benignissi-
mus DEUS Te salvum ac incolumem in-
seros conservare annos: ut Te Ecclesia DEI,
Nobilissima & Archiepiscopalis Domus,
omnesque boni fruantur diu; & nos cli-
entes Tui, Patrono Optimo, Præsentissi-
moque.

REVERENDISSIMÆ TUÆ
DIGNITATIS

Humillimus & devotissimus cultor

PETRUS HÖÖF

Schvanteson,

Maxime Reverendo, atq; Celeberrimo
DOMINO,
MAG. DANIELI
LUNDIO,

S. S. Theologiæ Professori, ac Pa-
stori & Præposito in *Gaulla Upsala*
Vigilantissimo; h. t. Rectori Magnifi-
co; Studiorum meorum, per multos
retro annos Inspectori, & præcipuo
Moderatori, omni honoris cultu
& observantia æternum
prosequendo.

*EX*ile hoc, nulloque ingenii, aut orationis ad-
paratu exornatum, studiorum meorum spe-
cimen, in certissimum signum animi erga TE,
Magnif. Dn. RECTOR, tuamque omni tem-
pore mihi declaratam humanitatem, benivo-
lentiamque summam, gratissimi; inque spem
ulterioris favoris, cum ardentissima perpetua
felicitatione, sacrum facio

Maxime Reverendi Nominis Tui

cultor obsequentissimus
PET. SCHV. & obf.

Consultissimo, Amplissimoque VIRO,
D: NO T H O M Æ
L O H R M A N,
Civitatis Ups. Consuli æquissimo,
Avunculo meo Carissimo.

*H*Æc sunt, Carissime Avuncule, quæ juvenilis
Musa, præteriti temporis rationem redditu-
ra, intra Tuos lares mihi elicit; Tibique, Altori
suo propensissimo, benignissimoque offert, spe fre-
ta fore, ut non tam munusculi hujus charta-
cei tenuitatem, quam animum, ac summum ob-
sequium, quo semper Tibi est obstricta, velis respi-
cere. Sustines vero mihi, Honoratissime Domine
Avuncule, personam & Tuam, & Carissima Ma-
tertera meæ, Conjugis Tuæ, cui post DEum,
præter vitam, quam parentibus debeo, accepta
fero cetera omnia. Accipe igitur, & Tuo, & Illius
nomine hanc thesseram perpetui in Vos obsequii,
& pietatis nunquam intermoritura. Preces meæ
hæ sunt, eruntque semper, velit benignissimus
DEus Vos ambos multa rerum omnium bona-
rum beare felicitate. Sum ego, dum vixero,

Amplitudinis Tuæ

Officiis, obsequiis & veneratione
additissimus

Pet. Schv. Høbf.

CANDIDE AC BENIVOLE LECTOR.

Historiolam, quam cernis, levem forte, nec satis dignā oculis tuis, B. L. judicaveris, si non alia a me, quam quæ dudū a summa eruditionis Viris prolata sunt, afferri posse cogitaveris. Et recte omnino cogitas. Neque enim mihi hoc in negotio propositum est, nova quedam & inaudita commemorare, sed historiam tantummodo Sancti Erici recitare; quippe in qua scitu jucunda, simul ac utilia occurrant non pauca. Brevior ideo fui, quia rerum & temporis angustia arctiores mihi posuit terminos. Quod autem mihi cogitanti de Exercitio Academico publice edendo, præ ceteris Vita S. Erici describenda arriserit, factum est non unam ob causam: hæc tamen erat præcipua, quod Ericus fuit ex iis regibus, qui pietate, & aliis virtutibus inclaruerunt, & Rex tandem Sveciæ celebratissimus: eoque non minus prædicatione dignus, quam quilibet alius, ex Græcis, vel Romanis Imperatoribus. Allexerunt me præterea ad hunc laborem varia tam extra, quam intra urbem Upsaliensem, per hunc regem nobilitata loca: ossaq; insuper ejus opobalsamo illita in Templo Cathedrali servata. Tuum erit B. L. conatus hosce meos, cur non dicam me ipsum, benigne accipere. Ego vicissim Tibi fausta quævis, & prospera ex animo adprecabor. Vale.



I. N. 7.



Uamvis ad institutum nostrum promovendum nihil fecerit, si ultimam rerum SvioGothicarum memoriam repetendo, inde orsi fuerimus, ex quo cœpit ipsa regum prima origo, nescio in quo posterorum Japheti, quem patrem nationis nostræ fuisse credimus; aliquid tamen conatibus nostris profuerit, præcipuas regum familias enumerasse: ut ordine ad ERICUM, de quo dicendum, pervenire queamus. Prima igitur familia regnatricis in patria fuit *YNGLINGORUM*, ita vocata a *FREJO*, qui & *INGO* dictus, quiq; tertius ab *ODINO* regnavit. Quotus vero hic *Odinus* fuerit, primus, an secundus, dicant antiquitatum periti;

A &, quo

&, quo tempore habenas imperii rexerit. Id nos scimus, *EMUNDUM II.* ex Ynglingis postremum fuisse.

Emundum excepit *STENCHILLUS II.* cognominis familiae auctor. Atq; ut ad ejus ætatem parentis solium heres filius occupavit; ita Stenchillus communibus populi suffragiis rex electus est: ut eum sequentes quoque, non nisi electione facta, reges evaserunt. Ultimus ex domo Stenchilliana fuit *RAGVALDUS*, filius incluti regis Ingonis III.

Ad *SVERCHERIDAS*, post Ragvaldum descendit quasi ordo; estq; in tertia regnatrice prosapia primus *SVERCHERUS II.* ut illud nos docet Nobiliss. Oernhielmus *a)* contra Johannem Magnum, Ericum Olai, & reliquos, qui inter Ragvaldum, & Svercherum, Magno, Nicolai Danorum regis filio, dant locum.

In cujus rei mentionem quia incidimus, paucis dicendum est de motu Danorum regum, quibus postea perierunt & Svercherus, & Noster *ERICUS*. Fuerant scilicet dudum
connubia;

a) Hist. Eccles. Lib. IV. c. 3.

3
connubia, quibus jungebantur regnatrices in Svionia, & Dania domus: Inde factum est, ut jure hereditatis putarent Dani, si quando rege vacabat Patria, ad se quoque pertinere potestatem heic regnandi. Sed quam perversa ratione istud jus sibi vindicarent in regno jam diu electivo, per se est manifestum. Vindicabant interim: & Magnus quidem Nicolai filius jure nixus materno, suis artibus id effecit, ut Ragvaldum e medio tollerent W-Gothi. Quo sublato, voto potitus videbatur: imprimis quum essent aliqui suæ factionis, qui regem eum crearent. Sed vim suffragiorum libertati non inferendam esse arbitrati sunt Sveci, Gothique, qui ut alienigenam excluderent, more majorum, Svercherum regem crearunt.

Interea temporis in occupando throno Danico plures adfuerunt æmuli, in quorum numero quum esset quoq; Sveno, parens Henrici Scadeleri; filius, cui in Dania nullus locus, in Svioniam erat ablegandus, ut hic sedem quæreret, ac imperium. *Hi, (Henricus & Magnus filius) cum aperta vi non possent, solitis familiaribusq; sibi artibus aggrediuntur ne-*

4

gorium, atque honestiorum quæquam sollicitare non audentes, in caput Svercheri Regis emunt percussorem servorum ejus vilissimum, Regis equis curandis appositum, qui ipso die, qua sancte colitur memoria nati CHRISTI Regis & Domini, antelucanis horis properantem ad sacra matutina Svercherum, inter Tolfstad & Aleback, occidit nefarie. b)

Sverchero sublato, Regnum per suos palam petere Magnum non erubuit, c) ea præcipue de caussa, quod esset Ragvaldi ex filia nepos. Quando Sviones Gothique usque adeo ostenderunt, se regum sive filiis, sive nepotibus non obnoxios, ut prætereuntes Carolum, Sverchero natum, communibus vocibus ad regni habenas vocaverint ERICUM, filium Jedvardi.

Cujus regis vitam, qui literis consignarunt, non omnes unam eandemque ingressos esse viam constat cum in ceteris, tum in genere ejus inquirendo. Alii enim petiverunt rura, & silvestria

b) Ornh. Hist. Eccl. IV. 3. v. 226. c) E-jusd. Hist. Eccles. IV. 4. v. 1.

S

vestria loca, inter agrestes homines parentes ejus quæsituri: alii ad eminentiora properantes, ad aulas affinitatesque regum se contulerunt. Frustra illi; hi vero feliciter tam magni, tamque præclari regis invenerunt incunabula. *Exitit enim tam regali prosapia, quam nobilium Sveciæ procerum oriundus: ut scribit Israël Erlandi. d)*

Qui pro rustica pugnant origine, suæ sententiæ robur mutuantur e Chronico, a Messenio edito, cujus hæc sunt: *Hans Fader heet Järwarsder / och war en goder risfer Bonde. e)* Sed, Messenius ipse vocat S. ERICUM *antiquæ nobilitatis principem. f)* Crediderim vero voluisse auctorem Chronici, adpellando patrem ERICI bonum & ditum rusticum, hominis diligentiam indicare, curamque indefessam, se, suosque alendi, ac ditandi.

Quid? quod *Rustici antiquis, non quales nobis, sed quicungq; deniq; colebant rus,*
A 3 *etiam*

d) *de Vita S. Erici cap. 1. e) Gamla Sw. Chron. pag. m. 59. f) Scondia Illustr. Tom. II. p. 1.*

6
etiam per servos, aut colonos. ff) Sic
Tulliano seculo in Italia multi, urbe
relicta, magna cum laude vixerunt in
agris, delectati re sua familiari, non eam
quidem omni ratione exaggerantes, neque
excludentes ab ejus usu suos; potiusq; &
amicis impartientes, & Republica, si quando
usus esset, ut loquitur Cicero. g) Nec
hodieque pudet, bonum patrem fami-
lias rusticum appellari, sit licet loci, ac
ordinis superioris.

Si qui porro voluerint, ideo ERICUM
parvis initiis ortum debere, quod
dicatur a rusticis electus; tum responde-
mus, ista in Messeniano Chronico ver-
ba, Bønder i Bpland walde honum til
Konung h) non excludere proceres ac
ordines regni ceteros, me id docen-
te pia beatæque memoriæ Avo meo,
JOANNE SCHEFFERO. i)

Sed in portu navigamus, de splendo-
re orientis ERICI satis securi: Si nam-
que obscuros habuisset parentes, cubili
illum

ff) Schefferi Ups. Antiq. p. m. 371. g) Offic.
l. c. 26. h) Saml. Sw. Er. loc. antea
cit. i) in notis ad Isr. Erl. p. m. 24.

7

illum nunquam dignata fuisset Ingo-
nis IV. Sveciæ, ac Gothiæ regis, ex
Ragnhilde filia, non formæ solum,
pulchritudine, sed castitate etiam,
aliisq; virtutibus clarissima CHRISTI-
NA, Jaroslavo Ulademiriensium in
Russia Duci nuptiis primis juncta,
qua prius, quam regno, erat potitus.
*Delirant itaque, scribente Oernhiel-
mio, qui putant, rustici fuisse filium S.
Ericum: cum namque hoc tempore ab-
undaret patria familiis per adfinitates in-
nexus sanguini Regum, credibile non est,
consensuras in electionem Regis, utcunque
virtute magni, ortus tamen obscuri ac igno-
bilis. k)*

Quod quum intelligeret beatus
Avus meus, maluit, quam ex rustica
familia, & vili, ex Svercheri domo
ERICUM, vel conjectura arcessere.
At nunc amplius opus non est conje-
ctari, quum de stirpe paterna luculen-
tissima nos doceat Reverendiss. Dn. Ar-
chi-Episc. Academia Ups. Pro-Cancel-
larius Eminentissimus, Doct. HAQUINUS
SPEGEL

k) Hist. Eccl. IV. 4. v. 5.

SPEGEL in Hist. Eccles. Svio-Goth. ubi hæc longe pulcherrima, & ad usus nostrorum accommodatissima leguntur: ERICUS IX. (Angli scribunt Edric) som elses Pallas Sanct. ERIC, war icke / som någre skrifwa af **FOLKUNGMANNA** / mycket mindre en Bondes Son / som hans Swänner diktade / utan af **BONDENAS** Ridderliga Familie, ty hans Fader war Kongl. Rådet och Riddaren **JEDVARD BONDE**: Modren Fru **CECILIA** Konung **SVENS** dotter / och hans Swärfader war Konung **INGO**: Han war icke allenast för sin Rättrådighet och Fromhet mycket berömd / utan också särdeles til Gudachtighet benågen / så at han tog Archiebiskopen Henric med sig til Finland / då han ämnade med wapn underwinga Inbyggarna / på thet the tillika måtte til Christi kannedom omvändas och döpte warda. 1) Et, ne quis in posterum dubitare possit, JEDVARDUM, ERICI regis patrem, fuisse ex illustri BONDORUM familia, præstat Nobilissimus & ad Patriæ antiquitates illustrandas, stabiliendasque natus Dominus ELIAS BRENNER, Collegii Antiquitatis Assessor longe Celeberrimus; cujus humanitati summæ debeo literas me

9

tis de rebus erudientes, etiamque de
vera ERICI prosapia. Quarum litera-
rum particulam, venia VIRI optimi, te-
cum B. L. in hunc modum communi-
co: Hvad St. Erics slægt och härkomst
wedkommer så är det merkeligit/ at han wa-
rit härkommen af den lustre och uhråldri-
ge BONDE familien, hvars efterkoms-
mande ännu hoos oss leswa/ hwilket med
des original mynt klarligen kan bewisas/
det jag äjwen så wäl som monga andra/
uthur sitt långa mörker första gången i
dagsluuset frambröcht. Sielswa pennin-
gen är en bracteatus och med de öfrige
Sanct Erics mynt som hafwa full inscri-
ption upfunnen/ och allenast unique i mitt
cabinet står att finna; des öfwerkrift är
denne: ERIC. RE. men i det stället som
på de öfrige in area nummi står Konun-
gens krönte hufwud/ så wisarfig på denne
uthtryckeligen BONDE familiens uhr-
åldrige Stamwapen/ som är en Båt uthan-
fiedrar på stammarna; är altså detta det
första Swenska mynt jag har kunnat öf-
werkomma/ hwar på Konungens Stam-
wapen står exprimerat.

Mater quæ fuerit, nobis etiam o-
stendit Incerti cujusdam Sveci, ut ha-
bet in-

bet inscriptio, Chronicon rerum Sveo-Gothicarum ab Adm. Rev. atque Ampliff. Dn. Mag. OLAVO CELSIO, Gr. L. in hac Academia Professore Celeberrimo, ante annos non ita multos in lucem primum protractum, notisque illustratum. Ex eo namque matrem ejus fuisse Ceciliam, Svenonis regis filiam, constat. m) Per Svenonem autem regem, non alius commodius intelligi potest, quam *SVENO Victimarius*, s. *Idololatra*, nostris *Bloth-Sven dictus*, quem, pulso Ingone Seniore, regnum Sveo-Gothicum aliquot tenuisse annis multi adfirmant haud infimi subsellii scriptores &c. n)

Ut igitur in pulvere aut casu nasci Nostro non contigit, ita quin optimis instructus artibus, ornatusque fuerit virtutibus, nemo dubitaverit. Est nimirum communis consensus omnium, quotquot mihi licuit inspicere, eluxisse in eo vitæ morumque integritatem & elegantiam; quas ceteri nobiles poterant admirari, non vero imitari. His effecit, ut populi non tantum sibi conciliaverit favorem, sed
regiam

m) p. m. 1. § 14. n) loc. cit. p. m. 15. 16.

regiam quoque majestatem, dignitatemque, eo, post autorem Deum, ad illud fastigium vocante.

Sint licet, qui dicant Gothos, non expectatis Svionum suffragiis, regem constituisse MAGNUM Henrici Scateleri; & Svecos nulla habita ratione, neque hujus, quippe cujus vita tota sceleribus polluta madebat; neque CAROLI, a Gothis antea constituti; unanimi tamen consensu ERICUM regem creant SvioGothi, eumque more illis temporibus recepto, ad Mora-Ste n/ eligunt, & regem Sveciæ proclamant.

Hactenus quoque illis assenserim, qui utriusque populi vocibus ad regale solium vocatum ERICUM statuunt; ut non prorsus vanam putaverim esse narrationem de Carolo a parte aliqua Gothorum rege salutato. Id ut credam, adducit me præsentius periculum, Dano hosti, ab his partibus adventuro, ut esset, qui se opponeret. Versabatur etiam inter Gothos Carolus: nec inusitatum erat, regis filium post patrem in illud fastigium evehi solere.

solere: eritque, nisi fallor, hoc hujus
 historiae fundamentum, quod e suo ce-
 rebro exsculpere non fuit e re scriben-
 tium. Tandem ista conventio Svio-
 num, Gothorumque, qua decretum est
 consensu utriusque gentis, ut vicissim
 hinc inde e Svionia & Gothia reges
 sumerentur, cur nunc primum coepit?
 Audiamus Oernhielmium: *Quoniam*
Sveones Gothique diu jam pari jure in u-
nus Reipublicae corpus coaluerant, censue-
runt, in legendis posthac Regibus, parem
rationem habendam gentis utriusque, le-
gem rogantes, perrogantesque, alternis
vicibus e Svercheri Ericique progenie su-
mendos Rectores populi utriusque, illo a Go-
thiis, hoc a Sveonibus arcessente originem. o)
 Quibus omnibus si adjecero cunctatio-
 nem aliquam Gothorum in subscriben-
 do electioni ERICI, a Svionibus factae,
 res illa dubio carere videbitur. Quae
 cunctatio, ut incertum est, adscriben-
 dane sit prudentiae Gothorum, per
 quam prospicerent futura incommoda,
 ex isto, a regia domo discessu; an æ-
 mulandi studio, ne Sveonibus cede-
 rent; ita longe certissimum est, illam
 vicissitudi-

o) *Hist. Eccl. p. m. 481. f. IV. 5. v. 3.*

vicissitudinem diu sane regno valde exitiosam fuisse.

Sed ad ERICUM, de quo neque omnes idem dicunt circa annum, quo sit electus. Sententia Israëlis Erlandi est, cœpisse illum regnare A:o MCL. quia dicit Annum MCLX, quem ultimum facit, fuisse regni annum decimum. p) Ab Israële non fere dissentiunt alii, sed longius digreditur ab omnibus Oernhielmus, contendens annum ERICI primum esse MCLVI, quum sit occisus a seruo Svercherus II. anno MCLV. Testem, vera se dicere, appellat Oernhielmus Saxonem: q) Appellat quoque Cornel. Hamsfortium in Chronico Danico; & rerum plurium Synchronismum. r) *Venisse enim ad Regnum non poterat Ericus ante annum hujus seculi LVI. nec id morte amisisse post primum & sexagesimum, quod facile probatu erit ei, qui Sverchero ERICO-que aequalium Danie Norvegiaque Regum res & tempora conferre exacte volet cum horum*

p) c. 9. q) in Ejus Hist. Dan. lib. XIV. p. 171. v. 45. seqq. r) vid. Oernb. Hist. Eccles. IV. capp. 3. & 4.

borum nostratum; quod, si Deus vitam & valetudinem cum otio concesserit, alibi plenius nos facturos, repromisimus. s) Datam fidem si licuisset, liberaturum fuisse Oernhielmium non sinit nos dubitare ista tanti viri his in rebus peritia summa. Nobis interea quid dixerit ille, quid ceteri licebat narrare.

Quum igitur ab omni populo per electionis carimonias regno esset utriusque admotus ERICUS, prima ejus cura fuit in conciliandis sibi animis civium, quos in duas quasi partes diviserat factio Danica. Et dignus erat ERICUS, qui a suis amaretur, ac coleretur; dum nihil ad suam, sed ad publicam utilitatem referret omnia; vitamque & actiones suas sic componeret, ut, quod primum esse debet, religionis, rerumque sacrarum esset studiosissimus; deinde in cives summa uteretur clementia; ac tandem regni Svionici fines, summotis hostibus, prorogaret fortissime, quemadmodum singula illa post Israëlem Erlandi prolixiori commentario explicantur ab optimæ fidei viris

s) Denh. Hist. Eccl. IV. 4. v. 44.

ris historicisque Erico Olai, Joh. Magno, Messenio, Loccenio, Scheffero, Oernhielmio, & aliis per plurimos; quorum certamen in laudando ERICO rege non sine magna voluptate animi deprehendimus.

Ex iis pauca delibando, ac ordinem rerum a Nostro gestarum sequendo telam narrationis ab expeditione Fennica auspicamur. Erant Fenni tunc temporis spissis errorum tenebris, cænoq; perversæ religionis involuti, eoque a Veri DEI cultu alieni. Regni præterea Svioniæ, ob frequentes incursiones, & crebro illata damna, hostes.

Potuisset alterutra harum causarum, ad bellum Fennis juste inferendum ERICO sufficere, ut propulsaret injurias vindicaretque. Sed tamen ex more illius seculi, pro hoste habendus erat, quicumq; nobiscum cõmuni religionis vinculo non contineretur, essetque Idololatricæ addictus superstitioni. De qua bellandi causa non idem sentiunt omnes. *Num*, inquit beatissimus Avus meus, *ff)* recte quoque hanc
adjecit

ff) in Notis ad Vit. S. Erici p. m. 68.

adjecit conditionem ERICUS rex, ut fierent Christiani? Non negabit, qui credit Lipsio, posse Barbaros invadi religione prorsus a nobis abhorrentes Lib. II. Polit. c. 4. 17. Negabit vero, qui cum Grotio arbitratitur, religionem Christianam male pro pagari armis, nec detrectantibus eam juste arma inferri. vid. lib. II. J. B. & P. c. 20. 48. Et sua confessione sane negavit ipse ERICUS, quum inter lacrimandum responderet quærentibus, cur fleret; vehementer dolere se tot animas, ista tot hominum cæde periisse. t) Verba ejus hæc fuerunt: *Etsi hæc victoria DEI munere nobis de tam efferatis hostibus concessa, non potest non grata lætaque animis nostris esse; tamen irreparabilis tot animarum jactura majori est dolori. Si non aliis, certe meo animo ingentem luctum & plagam facit. Miseri illi mortales si ante cladem acceptam sponte se DEO dedissent, per hanc brevem mortem, utiq; sempiternam effugissent. u)*

Illud quoque in ERICO laudem meretur maximam, quod servârit ritum

t) *Ifr. Erl. c. 7. u) Loccen. Hist. Regum pag. m. 76.*

tum gentibus fere omnibus receptum, ut intelligeretur, *bellum nullum esse justum, nisi quod aut rebus repetitis geratur, aut denunciatum ante sit, & indictum*, ut loquitur Cicero. w) Indixit enim, pacemque obtulit; sed quam repudiarunt. x) Bellum igitur suscepit, tam, ut vim vi rependeret, quam ex adhortatione non modo beati HENRICI, Upsaliensis ea tempestate Episcopi, sed & aliorum, qui Christianæ religionis dilatandæ erant studiosi. Classe, inquam, comparata, militeque instructa, in Finlandiam venit; & armis suis victricibus coëgit victos victoris subire arbitrium; ut Finnoes superati, Sveonum postea & juri parerent, & religioni.

Quanta hoc in bello fuerit S. ERICI, atque Henrici Episcopi opera, nemo facile dixerit. Id memorasse sat erit; Fennones devictos, eorumq; posteros, fidem, & religionem Christianam amplectentes, sacroque tinctos lavacro *ex fonte Lupisala, S. Henrici fonte*

B te inde

w) *Lib. I. Offic. cap. 11.* x) *vid. Isr. Erl. cap. 6.*

re inde dicto, y) DEO postmodum & Svecis gratia, & amicitia fuisse conjunctos fere perpetua.

Videri posset, esse heic locum dicendi de S. HENRICO, quem opus conversionis urgentem Rex ERICUS, bello finito, rebusque fere compositis, in Svioniam remeaturus reliquit. Verum, quum a meo id absit proposito; illud solum cum venia B. Lectoris dixerim; rite illum partes suas obeundo eo usque felicem fuisse, donec tumultuantem populum Lallus quidam homicida, correctionis disciplinæque Ecclesiasticæ impatiens, in eum concitasset, virumque innocentem trucidasset. Dies itaque XIX. Januarii, quo Finlandiæ hic Apostolus & Episcopus miserrime interiit, quotannis ad hæc usque tempora ejus datur memoriæ.

Sed iterum ad ERICUM Nostrum, quem duplici victoria ovantem, redeuntemque cives maximo cum adplausu exceperunt; si prius dixero, fundamenta arcis Aboënsis, *pro retinendis*
sub

y) *Loccenii Hist. Svec. p. m. 76.*

sub obedientia Finnis ; & Ecclesiæ Rendamechensis, ibi primæ, pro iisdem, velut Neophytis, porro in fide informandis, æ) tunc quoq; ab illo jacta. Redux vero multa Patriæ salutaria molitus est, quæ omnia explicatius scribunt multi. Inter cetera templorum, & sacrarum ædium curam sibi esse propriam voluit.

Templo Cathedrali, quod in hac urbe nostra visitur, ejusque fundamentis a Sverchero II. positis ERICUM aliquid adjicere voluisse affirmant multi scriptores: a quibus quum recentiores aliqui magni nominis digrediantur in tantum, ut negent omnino heic tumulla templi fundamenta apparuisse, in re mihi dubia quid dicam, ignoro. Certe ita scribit b. m. Professor Eenbergius, hon (Domkyrkian) år funderat uti R. Waldemars tid wid Åhr 1260 / och muren updragen til taaflaget. a) Ita scripsit ante illum Karolus Episc. Aros. in Excerptis: *MCCLX. sub Baldemaro jacta sunt fundamenta Templi Cathedralis Estrararöos, & ad tectum eductum b)* Estque is hujus historiæ auctor primus, quem

B 2

ut non

æ) *Mess. Scand. Illustr. Tom. X. p. m. 4. a) in Descr. Ups. p. 3. b) vid. Excerpt. p. m. 1.*

ut non impugno, ita per omnia probare non ausim.

Porro Arcis quoque Calmariensis fundamenta S. Ericum jecisse volunt: cujus rudera quedam adhuc sub vallo urbis extent. c)

Veteres Svionicæ gentis leges ab erroribus repurgavit; rejectis emendatisve, que de paganismo servata Christianæ religionis studiosos offenderant; d) & non paucis adjectis Codicem de nomine suo inde dictum condidit. Quæ lex S. ERICI perperam a quibusdam vocatur Lex Ostro-Gothica; quum sit omnino Uplandica. Atq; hoc ipsum evidentissime probatur ex Lege Uplandica a Birgero Magni filio, Svionicæ & Gothiæ Rege, recognita, ut habet inscriptio; ubi hæc leguntur: - - Of til allán thán rátt ár Bplándsk lagh áru och hin hálghe Eriker Rununger gaf. e) Heic in transitu notetur, necessum est; Birgerum ipsum in codicis Uplandicæ Legis compositione fateri, se sequuturū Leges S. ERICI, & aliorū: Of viljum wir/ inquit, fylghia i Laghum thámma warum forfádrum Erikinum

c) *Loccen. Hist. Reg. p. m. 76.* d) *Scheff. Svec. Litor. p. m. 2.* e) *in Urfsda B. III. Slutker um GistarMal.*

Erikinum Hälgha / Byrghiri Jarli och
 Magnusi Konungi. f) Porro Legis Up-
 landicæ auctorem agnoscit quoque
 Lex Magni Erici; cujus hæc sunt:
 Jag gifter thyl myna dotter til hethers oc
 til husfrw oc til halfua siång til laas oc
 til nykta oc till hvars then thrithia pens-
 ning i agher oc agha saan oc i lösdorum
 oc til allen then rät som Bplanzlagh äru
 oc then Hälgher Eryker gaff i napu fathers
 sons oc thes hälgha andha. g) Quid?
 nonne eadem in Christophoriano Co-
 dice, cujus maxima pars ab hoc Ma-
 gni Erici desumpta est, occurrunt ver-
 ba, ut ne ovum quidem ovo similis,
 quam illis hæc: Jagh gifter tigh mina
 dotter til hedhers och hustru - - - til
 allan then rätt som Bpland; Lagh äru/ och
 then Helghe Erik gaff/ &c. h) Quæ
 b. memor. Proavus meus Maternus,
 quem summum vocant alii JurisCon-
 sultum, JOHANNES LOCCENIUS civitate
 donavit Latina hunc in modum: *Ego*
despondeo Tibi filiam meam in honorem &
uxorem - - - in omne jus Legis Up-
landicæ, quam edidit S. Ericus. &c. i)

Hæc

f) vid. præfat. ad dict. Leges. g) cap. IV.

GistM-B. h) cap. V. GistM-B. 22.

i) Leg. Prov. Tit. II. de Conjug. p. m. 29.

Hæc didici ab Antiquitatum Patriæ, simul ac Patriarum Legum, rerumque ceterarum peritissimo ac incomparabili Viro, Consultissimo ac Celebrissimo Domino CAROLO LUNDIO, Professore & Acad. Ups. Seniore: Cui ob humanitatem & favorem mihi non semel præstitum, immortales debeo gratias, habeoque.

Monetas, S. ERICO regnante, cufas, easque exsculptas & depictas, supra laudatus Dn. ELIAS BRENNER, accurate nobis in elegantissimo Thesauro suo Numismatū Sveo-Gothicorū exhibet. Horum quidam literam Regis Nostri initialem E repræsentant inter tres coronas; quorū meminisse ideo oportet, quia ex iis evidentissime constat, ante unionis tempora, Sveciæ insigne eas fuisse. Alii crucem, signum Christianismi, habent, eodem circumdatum ornamento: ab altera parte videbis Leonem, coronam capite gestantem, cauda, pedibusque extensis, tria transfilientem flumina. Caput ERICI Regis corona cinctum, quod Stockholmæ deinde evasit insigne, in nonnullis cernitur,

nitur, hisce munitum literis : ERICAS
 REX. HERICVS. HERC REX. HERICVS
 REX. Quidam etiam habent ab una
 parte Regii capitis, E, & ab altera, I,
 literam initialem Jedvardi, Patris E-
 RICII. Reliqui vero crucem penden-
 tem inter E, & R. Sunt & alii numi,
 quibus S. ERICII nomen varias propter
 causas est inditum, quos tamen a ge-
 nuinis laudatus Brennerianus thesau-
 rus nos distingvere docet.

Ac licet, ut hinc ad reliqua digre-
 diamur, ubique vitæ, morumque san-
 ctitatem ostenderit ERICUS, ut ab om-
 nibus merito laudetur; fit tamen,
 ut pietas in DEum, inque alios chari-
 tas præ ceteris celebrentur. Dies fe-
 stos tam reverenter habuit, ut non
 satis esse putaret sacris interesse, & suo
 exemplo alios ad se imitandū excitare;
 quin etiam, quo esset ad preces, lau-
 desque divinas idoneus magis, frequen-
 tissima adderet jejunia, & alia contra
 exorientes voluptates remedia. Sic me-
 morat Israël Erlandi †) inter alia ad
 subigendam corporis lasciviam, usum
 indumento

†) in *Vita S. Erici. cap. 4.*

indumento cilicio, ex asperioribus animalium pilis contexto. Sed de quo ita Oernhielmus: *Est autem hoc genus indumenti solenne ordinis Carthusiani & Mendicantium Monachis, qui se aliosque cum primis somniant beatos justitia ex talium meritorum fabulis ac neniis. Itaque hoc insigni coluisse ERICUM arbitror sodalitatem cum Monachus alicujus in patria Monasterii, quod paterna imitatione Canutum filium fecisse cum Julitensibus, inferius, si Deo videbitur, probabimus. k)* Illud indusium occiso detractum, multoque cruore conspersum, quondam servatum scribit Israël. Et reperio quidem inter reliquias S. ERICI in argenteo illo, de quo infra, loculo, conditas, exiguam sane particulam ex istiusmodi pilis contextam; verum scheda quædam adjecta monet, esse eam non ex S. ERICI, sed *ex cilicio S. Bernardi.*

Inopibus præterea, infirmis, injuriâ, superiorumque insultibus, vel alia quacunque denique calamitate oppressis opem tulit ERICUS. Ipsi debitam

k) *Hist. Eccl. p. m. 465.*

bitam tertiam multarū partem, offerentibus remisit, dicendo: *Mibi mea sufficiunt*, h. e. ea, quæ ex certis ordinariisque regni redditibus habeo; *vobis vestra sint salva.* 1) Breviter dixit Petreus: Han var en gudhfruchtigh / rättwijs / from och dygdesam Herre / och förde ett Engle lefwerne / thesfore han ock wardt kallat effter sin dödh *S. ERICUS. m)*

Quamquam igitur ita viveret, ut omnibus merito carus, & jucundus esse posset; non tamen malorum odium, quo nemo bonus facile caruerit, evitavit. Extiterunt enim ex Danis, quos supra dixi, qui adhuc imminebant spei potiundi gubernaculorum regni in Svionia: hiq; factis promissis optimarum rerum, conditionumque, multos in partes suas dudum traxerant. Carolus etiam Svercheri filius non videbatur æquis oculis adspicere regem ista in sede, quæ sibi, nisi ERICUS esset, cessura fuisset: ideoque & ille Danorum conatus adjuvisse creditur etiam Israëli; conatus, inquam, Henrici Scadeleri, filiique ejus Magni, qui ambo in-

1) *Isr. Erl. de Vita S. Erici c. 3.* m) *Sw. Chr. Lib. 1. cap. 124. p. m 59.*

bo ingenti comitati exercitu, omnia ignorante ERICO, ad urbem Upsalensem adsunt.

Dies erat 18 Maji, qua, dum sacris interesset ERICUS, ad illum oppugnandum venirent Dani. Ac licet illi in Templo S. S. Trinitatis (Bondefyrftian) constituto nunciaretur, hostē appropinquare ad urbem, non prius tamen e templo est egressus, quam finitis sacris, ut ista narrat Israël Erlandi. Sententia ejusdem Israël est, cum aliquot repente collectis regem obviam ivisse hostibus, & ab iis statim trucidatum fuisse: eamque sequuntur ceteri. Messenius *n*) opinatur, ERICUM in templo Ruralis Upsaliæ, quam Fyringswaldensem & novam vocat, fuisse tum, quum ipsi nunciaretur hostes adesse; jamque properasse ad Veterem (Urbicam sic appellat Upsaliam) & heic ad Oestra Arhus cum Danis conflixisse.

Ut a se ipso, aliisque, quibuscum pridem senserat Messenius, hoc in loco dis-

n) in *Analectis* p. m. 108 & 109.

co discederet, non una subest causa. Primū namq; arbitratur, adhuc reliquias idololatriæ ad Oestra Arhus superfuisse, eoque credibile, nec voluisse heic loci Christianos ullum habere templum; nec illud paganos fuisse concessuros. Deinde negat, aliquem scriptorum nostrorū opus Templi Cathedralis tribuere Sverchero. Porro incongruum videtur Messenio, struere Metropolitanam ecclesiam adhuc non accepto Archipræsule; qui Svionia contigit Anno MCLXIII regnante Carolo Svercheri. Tandem absolum est, condere templum alicubi non impetrata venia Pontificis.

Nobis perinde est, quo in loco Upsaliarum ceciderit ERICUS, ad Fyringswaldensem, an Arhusensem. Quia vero Messenius rationibus suam conjecturam stabilire conatur, non, opinor, peccabimus, si illis aliqua, nos exercendi causa reposuerimus.

Ad primum igitur respondemus, jam dudum desisse superstitionem profanam in Civili, si vera dicit Israël Erlandi, qui docet Templum S. S. Trinitatis

nitatis hic conditum ; si verum est, quod b. VERELIUS in Hist. Regum Svec. habet, idem S. Trinitatis Templum a Stenchillo, & Olao Skottkonung inchoatum, sed per malignitatem temporum in rudibus suis sepultum, ab ERICO Sancto consummatum dedicatumque. Si tandem verum est, post Ingonis III. tempus nusquam fieri mentionem fani Idolorum, ut Pufendorffius, & Oernhielmus scribunt.

De fundamentis Templi Cathedralis, Sverchero Seniori attributis, dicere nihil aliud habemus, nisi quod sint auctores non inepti, qui id velint.

Tertium, & quartum ita explicamus, ut existimemus Svercherianum, quod dicitur Templum, potuisse conditum, licet nullus fuisset Archiepiscopus, ac licet Metropolitanum non evaderet ; Et sane sola cura Regum, Episcoporumque multa templa passim condita leguntur inconsulto Pontifice, cui satis erat, dato diplomate, concessisse Episcopo, vel Archiepiscopo Upsalensi Ecclesiam & civitatem Upsalarum, ut ejus curam gereret. *)

Inter

*) *vid. Chron. Archiepisc. p. m. 6.*

Inter reliquos, qui Israëlem sequuntur, est scriptor Anonymus, a Messenio editus, Erico Olai paulo prior, his verbis: *E. Konung Eric) wart drápin i Upsala- - - Gudh gör ther nu stoor jártékne för hans skull. De urbe hac nostra loqui dubium est nullum, quia vixit Anonymus ille sub Carolo Canuti, dudū post translata metropolitanam & S. ERICUM a rurali. Vastovii sunt: Contractusq; copis, (Henricus Scatelerus) regem nihil adversi suspicantem, apud orientalem Upsaliam, ex improvise adortus est. p)* Post Vastovium adsunt Loccenius, q) & Schefferus, cujus hæc sunt: *Nam monstratur (fons) etiam nunc in loco haud procul a Templo S. Trinitatis, qui olim pars erat hortorum regionum. addit verba Messenii: Truncatus fuerat capite beatus Ericus eo Upsalæ spatio, ubi in horto regio lympidissimus hodie fonticulus scaturit. r)* Nec aliter alii: & Oernhielmus, in describendo loco ERICO fatali est plurimus. Neque hac in re cum Messenio ulla nobis est controversia,

p) *Vit. Aquil. p. m. 67.* q) *Hist. Sv. p. m. 77.*
 r) *in not. ad Isr. Erl. p. m. 110.*

fia, licet aliquando de Templo, cui inerat ERICUS, illa die, qua periit, non eadem dicat. Nobiscum certe facit ipso de loco, narratione constanti, & tunc quoque, quum per conjecturam, de Templo S. Trinitatis, an ERICI tempore fuerit, ambigit.

Tandem visitur etiamnum fons S. ERICI muro cinctus, s) qui an verus sit, dubitabunt illi, qui fontem ERICI collocarunt in hortis regiis, qui dono CHRISTINÆ reginæ cesserunt usibus privatis virorum quorundam illustrium; & sunt fere sequentes in urbe insulæ: S. ERICS, Erågård; quarteret, Sanisen/ Fogelsången/ Munksen. h. e. omnis tractus a templo S. Trinitatis ad Pontem Monachorum (Munk-Bron) nunc incendio consumtum.

Tandem in amnis margine lethale vulnus accepisse ERICUM, docet b. Prof. Eenbergius, t) quum in eo esset, ut e templo S. Trinitatis fugiens ad ruralem festinaret. Ex quibus facile intelligitur ad Civilem Upsaliam trucidatum Regem ERICUM velle omnes.

Sed iterum in viam: ERICUS igitur

s) *vid. Scheff. Ups. Ant. p. m. 289.* t) *in Descr. Ups. p. m. 40.*

tur e Templo S.S. Trinitatis, sacris finitis, egreditur. Sed utrum collegerit aliquos sibi in auxilium, an fugam intenderit; an etiam decem pugiles Danos sustinuerit, relinquimus aliis dispiendum. Id verum est, cæsum esse Regem optimum, capiteque, ne deesset victo ludibriū, irreverenter exutum.

Annus ERICIANÆ mortis ponitur ab Israële Erlandi, quem merito dixerim antesignanum reliquorum, MCLX. Sequuntur ceteri; ut Auctor Chronici Rhythmi minoris,*) Johannes Magnus, u) Messenius in Chronologia Scandiæ, & Analectis; Amplissimus & Celeberrimus Dominus ERICUS BENZELIUS, Acad. Upsal. Bibliothecarius, in notis ad Vastovium, x) Schefferus, y) & alii; a quibus dissentire deprehendo b. m. Eenbergium, z) cui nescio an ideo plus tribuendum sit, quod liber ille auctoritate ac censura Viri, dum viveret, Excellentissimi, Profess. OLAVI RUDBECKII in publicum prodierit; quamvis habeat Eenbergius quo-

*) p. m. 80. u) *Hist. Sueo-Goth.* p. 698.
 x) p. m. 52. & seqq. y) in *notis ad Isr. Erl.* p. 114. z) in *Descr. Urb. Ups.* p. 40.

us quoque, cujus, opinor, premat vestigia, Oernhielmium. Is enim, a) non obiter circa ultimum annum regni, vitæq; Regis Nostri versatur; adducitque in robur suæ sententiæ consensum Historiæ Danicorum, Norvegicorumque Regum; quem consensum promisit se olim monstraturum.

Interea ex Sturlonidis Historia Norvegica ostendit Ormum fratrem Ingonis Krokbak, hoc est, Gibbosi, Regis Norvegici, fugisse e prælio, quo idem Ingo cecidit, ad Magnum fratrem suum tum Regem Sveciæ, qui esse non poterat alius, quam Henrici Scadelederi filius, fax belli, in quo Ericus cecidit per insidias. Addit (sc. Sturlonides) insignem notam temporis, qua non alius annus, quam de quo nunc loquimur, poterit recte intelligi, cum ait: Ormus frater Regis rem eo prælio gessit strenue, egregiam famam meritis fortitudine; qui tamen ad postremum, superatus multitudine, cedens fugere compulsus est. Hyeme autem, quæ fugam præcessit, Ragnam filiam Nicolai Masi, viduam Ostani Regis sibi desponderat, quam nunc dicitur

Eturus

a) vid. Hist. Eccl. p. m. 468. & seq.

Eturus erat conjugem Dominica die, quæ proxime sequeretur diem sacrum memorie Blasii, qui eo anno in diem incidit Veneris, quæ, non in aliquem ex proximis, sed exacte quadrant in hunc annum, quò litera Dominicalis erat A, & dies Blasii dies Veneris, quotannis recurrens die tertia mensis Februarii. Post pauca: His jam dictis, si quis a me quæret, quem putem genuinum esse annum, cadis ERICI, respondebo; non improbabilem videri seculi hujus quinquagesimum nonum, longe tamen probabiliorem sexagesimum primum, utpote cui non tantum Israël, sed Sturtonidis quoque character temporis examuffim conveniat. b)

Ego unum duntaxat invenio, qui ex veteribus expressit annum MCLXI. estq; codex manuscriptus Bibliothecæ Upsaliensis, quæ nominat supra laudatus Dn. ERICUS BENZELIUS, (Cujus etiam privata in hoc meo negotio informationi multum debeo) in suis ad Vastovii Vitem Aquil. notis. c) Docet vero eodem in loco Vir Amplissimus, non temere turbandum esse annum MCLX, quem maxima pars ERICO fatalem jam dudum

b) loc. cit. pag. 469. seq. c) p. m. 54.

dum dicunt: imprimis quum character ille diei adscensionis Christi, quem maximi facit Oernhielmus, possit falso esse adsignatus diei 18 Maji a scriptore, qui scripsit sesquiseculo post eandem ERICI.

Immo verum est, si festum adscensionis Christi una cum die 18 Maji, erit evidens character anni, quo interit ERICUS, jam vixisse ERICUM ad annum 1167: & Blasius, qui Oernhielmio alter est character, incidet in diem Veneris, eritque litera Dominicalis A, ut monstrat dissertationi subjecta tabula, in usus nostros a Math. Professore Celeberrimo Domino PETRO ELVIO consignata, continens integrum cycli solaris circuitum. Sed sic sine dubio vis fiet veræ Chronologiæ ac historiæ nimium vitam ERICI nostri producendo.

At objicere quis posset, superesse tamen Oernhielmio characterem alterum, qui Blasium, & diem Veneris conjungit, habereque annum 1161 Dominicalem A, ut ex eadem apparet tabula. Fateor ita esse, nec ea de causa Oernhielmio me oppono; & libenter

benter simul audio Amplissimum Dn. Bibliothecarium; quum, si qua in re alia, in annis designandis facillimus sit error: eoque, donec alius evidentiora monstraverit, illi fidem habemus, partemque majorem sequimur. Verum de his satis.

Innocentissimo tandem Rege trucidato & decollato, victores, regia directpta supellectili, sine dubio homines hujus factionis MAGNUM regem salutant. Inde enim esse videtur, quod regum catalogo inter hunc Nostrum ERICUM, & CAROLUM passim inferatur. Cujus tamen honoris injuste occupati, diu obtinendi, primas destituit fortuna spes. *Justa enim ultio excitavit Helsingos & Norlandos, duce Falone in Byrestad, (a quo pons Fale-vel Folebro prope templum Danmarchense nomen traxit) aliosque fidos cives ad arma contra regicidas: d)* quorum plerique habita diu cruenta utrinque pugna, victoriaque in Svecorum partes inclinante, cum Henrico conciduntur. Eo autem loco, ubi ceciderunt Dani, templum ab eorum exuviis & clade extructum;

C 2

d) Laccenii H. Reg. p. m. 77.

ctum, cognominatumque, integro vix
 miliari ab hac urbe conspicitur. Fu-
 gam abstulisse Magnum traditur; sed
 qui duce Carolo, Svercheri filio, a
 Gothis, cum omni se sequenti comita-
 tu apud urbem Oerebro internecioni
 datus est. Ita ruunt nonnunquam in
 ipsos facinora auctores.

Sed persequamur ERICI historiam,
 cujus funus insepultum reliquimus ad
 Upsaliam Civilem, meritarum scelera-
 torum hominum pœnarum expecta-
 tione tantisper suspensi. Corpus igitur
 cæsi Regis a civibus inter multa
 suspiria & lacrimas, in templo Veteris
 s. Ruralis Upsaliæ, ubi ea florebat tem-
 pestate sedes Episcopalis, conditum est,
 eoque in loco, quem lapis, qui adhuc
 in medio templi conspicitur, reliquo
 pavimento paulo altior, indicat. In-
 de vero ossa ejus, simul cum omnium
 Episcoporum & Archiepiscoporum ibi
 sepultorum (præter Olavi Basatœmirs)
 e) ad hanc Upsaliam sunt translata: id
 negotium procurante Archiepiscopo
 Folcone: rege Waldemaro, regni
 nobilibus,

e) *vid. Chr. Archiep. p. m. 16.*

nobilibus, & populi multitudine incredibili comitatum funeris cohonestante.

Arbitratur b. Eenbergius f) ERICUM in urbem translatum jamque inter sanctos relatum, cultum fuisse pro more seculi in æde sibi sacra (S. Ericus Capell) quam nunc in vicinia templi S. Trinitatis suis in ruderibus vix conspicimus, usque ad annum 1435: quo cathedrale evasit templum majus (Domtyrfian) quando Patronus quoque templi factus est una cum S. Olavo & S. Laurentio.

Conditorium, quod ERICI reliquias nunc habet, quando sit exstructum, & a quo, me saltem fugit. Non tamen desunt, qui opus hoc, nec non illam, de qua mox, tabellam, Archiepiscopo Jacobo tribuunt: quos inter Avus meus. g) *Alias totum fere est conditorium ex alabastro structum, figura pene quadrata. Latera habet cancellis ferreis munita, per quos conspicitur intus conclusa capsula argentea. Cancelli artificiose facti,*

auro,

f) in Ups. Descr. p. 42. g) in Ups. Antiq. p. m. 181. & 182.

auro, coloribusque culti. Creberrima rosæ sunt, interq; illas ad latera bis, (quater vero, si connumerēs) in capite ac pedibus semel (bis, si volueris) nomen Erici, his notatum literis: S. E. R. b. e. Sanctus Ericus Rex. Conserunt illas inter se velut funes, junguntq; coronæ, quæ ipsis imminet. h) Duæ insuper, meridiem versus, januæ, tribus munitæ seris, iisque diversis, sed formæ similis, ejusdemque, spectatores admittunt. Tetrum conditorii non planum est, sed altius aliquanto in medio. †)

Hujus conditorii fastigio appensa olim fuit, sed nunc incendio, quod partem urbis maximam, & templum die 16 Maji, Anni 1702 devastavit, consumpta tabula triplex, intus artificiose sculpta, extra picta, multoque ubique exculpta auro, quæ res Erici gestas, obitum quoque, una cum elevatione continuit. i)

Tabulis hisce imminuit quondam, hodieque adest supra conditorium, coronæ ingens argentea, inaurata, gemmis insuper distincta preciosis, signum, ut opinor, regii sepulchri. k) Auream illam fuisse quidam contendunt, fama, sine dubio, decepti.

Foribus

h) *ibid.* p. m. 174. †) *ibidem* p. m. 175. i) *ibidem* p. m. 181. k) *ibidem* p. m. 182.

Foribus conditorii reſeratis, obvium eſt ſcrinium querneum, argenteis laminis deauratis, iisq; elegantiffime cæ-
latis, undiq; obductum: additis etiam in angulis & lateribus angelorum ſimulacris, atque in ejus dorſo turriculâ. Materiam ſuperat omnino opus: eſt enim inter ea, quorum auctor ob inventi gloriam eſt laudandus. Oculis ego non ſemel ſcrinium hocce perluftravi, ratus auctoris in eo nomen alicubi proditum iri, verum fruſtra. Legi tamen in Meſſenio, l) a Lamberto quodam, inſigni Stockhølmienſium aurifabro, Anno MCDV. demum factum; ejusque ſolum deaurationi DXXXIV Anglorum ceſſiſſe nobulos.

Arculæ huic *incluſa eſt capſa alia lignea. Tota ſerico coccinei coloris eſt induc-ta, intus, extraque; m)* in qua ſervantur hodie oſſa ERICI opobalfamo, adverſus temporum, vermiumque injuriam præparata.

Inter quæ præter reliqua videri etiam licet Cranium; nec non de collo os quoddam, Halsbenet Svetice dictû; medium

l) Scond. Illuſt. Tom. III. p. m. 40. m)
Scheff. Upl. Ant. p. m. 177.

medium gladio sectum. Hoc ante annos aliquot Nobilis quidam ex Religione Papistica, dum osculo id pio exciperet, secum deportare frustra tentabat. †)

*Porro præter ossa illa, annulum quoq; si-
ve circulum continet hodieq; ea capsula &c.
Armilla Regis quidam ajunt fuisse: alii
gestasse ferunt in collo. Avo autem meo
nullum horum arridet; sed credit ille
diadema fuisse, in signum regii funeris cor-
pori appositum, terraque more veteribus,
hodiernisque interdum etiam usitato
una mandatam. n)*

Postquam in Sanctorum numerum relatus est ERICUS, quotannis ossa cum scrinio, eodem, quo occubuisse creditur die, h. e. 18. Maji, (qui etiam in Kalendariis nomine ERICI, & in Scipionibus Runicis vel corona, vel gladio notatus quotannis recurrit) e conditorio elata circumgestari cœperunt, Quando magna Clericorum, hominumque canentium multitudo ad Ruralem Upsaliam, primū quasi suæ quietis locum

†) *vid. Eenb. Ups. Descr. p. m. 43. n) Scheff. Ups. Ant. p. m. 180. seq.*

tis locum visitaturus deducebatur. Et hæc pompa est in causa, cur magna pars viæ inter hanc Upsaliam, & illam, lapidibus sit strata. †)

Eodem porro die concio & Missa in honorem Nostri, in hac præcipue urbe, cujus, simul ac templi, nec non totius Sveciæ Patronus fuit, adornatæ; materiam concionandi præbente Matth. cap. XVI. a v. 24 ad finem. Addebantur postea variæ lectiones, quæ habentur in Breviario Upsalensi; ubi hæc quoque Collecta, ut dicitur, legi potest: *Deus, qui beato Erico Regi & Martyri tuo victoriae palmam, vitæque coronam, & cælestis regni gloriam contulisti: fac nos quesumus ejus meritis & interventione cuncta nobis adversantia vincere, & coronam gloriæ in cælis feliciter obtinere. Per Dominum &c.*

Hodie dispulsis religionis Romanæ tenebris, solæ nundinæ ERICI memoriam die 18 Maji recolunt: quamvis diu satis post introductum Lutheranismum in pretio ERICUM habuerint Majores nostri, qui consueverunt dicta die, ante reliquias Ejus, per prata, agros, ac hortos vexillum, S. ERICI deinde dictum, circumfer-

†) *Ibid.* p. m. 329.

re, ut

re, ut eo lustrarent quasi, felicioresq; redderent futuros anni fructus. Cujus imaginem ex templo Birgensi, s. Börje depictam nobis ostendit Hadorphius. o)

De alio quodam vexillo, quod S. ERICI Baner appellarunt, loquitur Ampliff. Dn. P. DIJKMAN in Antiquitatibus suis Eccles. p) ubi dicit, Stenonem Sture humillime petiisse ab ArchiEpiscopo Jacobo, ejusque Capitulo, id sibi, omnibusque Sveciæ incolis, in prælio contra Christianæ fidei hostes Russos, utendum daret: promisit præterea St. Sture, se illud Templo Cathedr. redditurum. &c. &c.

Certe temporibus Gloriosissimæ memoriæ GUSTAVI I. regis, sub quo discussa caligine Pontificia, vera Evangelii lux accensa est, diu divinis honoribus culta fuit ERICI statua ad portam templi Cathedralis occidentalẽ posita; cujus basis etiamnum nitet agrotantium pannis lævigata. Hac de re ita scribit b. m. OLAVUS RUDBECKIUS: Sedan den reena Gud; ord; laran infom genom Konung Gustaf den Första/ hafwa
de Christna

o) in suis Observ. ad Schefferi Lib. de Insign. Regn. Svec. p. m. 314. p.) p. m. 129.

de Christna Sanct Erics beläte nedertaqit
 och nedergrätwit/ men de 2 andra (S. Olai
 seil. & S. Laurentii; quibus etiam tem-
 plum dicatum fuisse legimus) stå än i sis-
 na rum/ emedan gemena Man brukade att
 swäpa sina fiukas linfläder om St. Erics be-
 läte/ hwilket än kan synas af Pedestaren
 eller Stenfoten/ som belätet stått uppå/ at
 det är så slätt / såsom det word slippat. *q)*

Una tamen adhuc in urbe super-
 est ERICI effigies, quam supra januam
 Academiae Carolinae adspexeris, capi-
 te, nescio quo casu, abscisso. Capiti,
 quod olim adfuit, imponitur ex lapide
 factum triplicis rei simulacrum, alias
 quoque in vetustis picturis jungi solitum,
Solis, Lune, ac Terrae; & hunc
 quidem locum ideo occupasse arbitra-
 tur b. Rudbeckius, *r)* ut sic appareret,
 quæ, & qualis esset ante Christianis-
 mum Deorum ratio. Imo, qui primi
 nostræ gentis dii: nimirum ante Tho-
 rum, Odinum, Friggam & ceteros, So-
 lem, Lunam, ac Terram coluerunt
 Nostrates.

Nomen

q) Tom. III. Atlant. p. m. 14. *r)* Tom. II.
 Act. c. app. 5. & 6. conf. Eenb. Ups. Desc. p. 32.

Nomen porro & memoriam servant vestigia Sacelli ab Eo nuncupati; cujus locum inter utraque & Cathedrale, & S. S. Trinitatis templa conspici, supra diximus.

Servat quoq; Orarium ad molam Acad. Ups. farinariam, turri antea ornatū, nunc magno illo incendio deformatum. Vocant illud omnes, quemadmodum & inscriptio habet, S. ERICSI Källan.

Fuit & tertium Nostro Orarium, idque impositum fonti, primum scaturienti in illo, ut dicitur loco, quo animam efflavit. Verum de his, eorumque fati &c. consulantur b. Avus in Upsalia Antiqua, s) & Eenbergius in Descriptione Ups. t)

Quum vero occupatus sim in recensendis iis, quæ memoriam S. Regis retinent, videor minime silentio præterire debere, brevem totius vitæ ERICIANÆ imaginem contineri in pariete templi Vet. sive Ruralis Upsaliæ septentrionali. Heic namque prima area, quæ tota est deleta, ejus continuasse videtur coronationem. Secunda repræ-

s) cap. 11. t) p. 41. 49. item passim in Ejus Relat. om Wärdelden i Upsala.

da repræsentat expeditionem Finlandicam Regis, & Episcopi Henrici maritimam: quorum ille in puppi; hic in prora, sedentes, alter coronâ, alter tiarâ ornati notantur. Tertiæ sectioni illita est pugna cum Fennis; in qua non nisi virorum capita, pedes, hastæ, aliaque belli instrumenta passim internitentia conspiciuntur. In quarta Fennones baptizantur a Monacho, ut videtur, (capite enim utitur detonso, circulo tantū crinium ad aures relicto) S. ERICO ab una, & S. HENRICO ab altera baptisterii parte, chlamyde sacerdotali induto, librumque manutene-
 te; præsentibus, inspicientibusque. Quintum locum tenet S. ERICUS, qui poplitibus nixus, manibusque, & oculis ad cælum & altare, cui inter incensas candelas signum crucifixi Christi impositū cernitur, extensis, Missæ interest. Qui ad tergū conspicitur, servus est, hæc emittens verba, veteri exarata stylo: Herre tagen eder wara. Ceteri, quos Danos appellaverim, hastas atq; vexillum rubri coloris gestant. Ultimo in loco S. ERICI cædes monstratur, ægre nunc conspicua. Gladius capiti, quod corona tegit, imminet. Capiti, inquam,
 Regis,

Regis, inter manus sceleratorum hominum, morituri, DEOque animam suam sic commendantis: *Verre* annam cetera legere non potui; suspicor tamen adjicienda, ma min anda. Dani undique circumfusi intuentur.

Eandem historiam complexus est tapes ille elegantissimis ac vivis quasi imaginibus; quem in majoribus solemnitatibus ad chori parietes in Templo Cathedrali expansum vidimus; & nunc concrematum esse dolemus.

Verum non satis est Sanctum ERICUM Upsaliae pingi: ponitur enim passim in templorum tectis ac parietibus; quando sic agnoscitur, si regali diademate cinctus cernitur; si dextra manus gladium tenet strictum, sinistra vero pomum, nobis *Dijk's* aplet dictum: si praeterea ad sinistram pedem vexillum conspicitur, crucis signo signatum, in quatuor divisum partes, tribusque exornatum coronis. u)

Tandem ipsa jurisjurandi formula, qua usi sunt majores longo temporis tractu, nomen ERICI in summo pretio

u) *Dijkmans Antiquit. Eccles. p. m. 132.*

tio habuit. Imposita enim manu reliquiis Sanctorum ita jurabatur : *Sic mihi Deus sit propitius in corpore & anima, ac Virgo Maria, & S. ERICUS. &c.*

Miracula, quibus S. ERICUM claruisse fama est, quæque ipsi tribuuntur, peti possunt ex Israëlè Erlandi, in singulari de iis libello; Vastovio, ac aliis.

Nobis heic subsistere certum est; & supplices ad DEUM cælumque tendere palmas, ac orare, velit, DEUS Opt. Max. REGEM Nostrum Augustissimum, Clementissimum, Optimum, primo quoque tempore Victorem, salvum, sospitem, pacisque optatæ auctorem patriæ reddere.

S. D. G.



Ad paginam 34.

| <i>A. Chr.</i> | <i>Cycl. D</i> | <i>Cycl. C</i> | <i>Lit. Dom.</i> | <i>Asc. Chr.</i> |
|----------------|----------------|----------------|------------------|------------------|
| 1140 | 1 | 1 | GF | 16 Maji |
| 1 | 2 | 2 | E | 8 M. |
| 2 | 3 | 3 | D | 28 M. |
| 3 | 4 | 4 | C | 13 M. |
| 1144 | 5 | 5 | BA | 4 M. |
| 1145 | 6 | 6 | G | 24 M. |
| 6 | 7 | 7 | F | 9 M. |
| 7 | 8 | 8 | E | 29 M. |
| 8 | 9 | 9 | DC | 20 M. |
| 9 | 10 | 10 | B | 12 M. |
| 1150 | 11 | 11 | A | 25 M. |
| 1 | 12 | 12 | G | 17 M. |
| 2 | 13 | 13 | FE | 8 M. |
| 3 | 14 | 14 | D | 28 M. |
| 4 | 15 | 15 | C | 13 M. |
| 1155 | 16 | 16 | B | 5 M. |
| 6 | 17 | 17 | AG | 24 M. |
| 7 | 18 | 18 | F | 9 M. |
| 8 | 19 | 19 | E | 29 M. |
| 9 | 1 | 20 | D | 21 Maji. |
| 1160 | 2 | 21 | CB | 5 Maji. |
| 1 | 3 | 22 | A | 25 Maji. |
| 2 | 4 | 23 | G | 17 M. |
| 3 | 5 | 24 | F | 2 M. |
| 4 | 6 | 25 | ED | 21 M. |
| 1165 | 7 | 26 | C | 13 M. |
| 6 | 8 | 27 | B | 2 Junii |
| 1167 | 9 | 28 | A NB. | 18 Maji. |

* * * * *

Fågne = Rim

Öfwer

Herr PETTER SCHV. HÖÖR/

Då han

Sitt wittra werck

om

Konung ERICH den Nijonde

lät utgå/

och med allas nöje förswarade.

SKall mödan Er så lön/ så måst' Apollo taga
Wäll drupt i pungen ned/ med rika händer laga/
Ut för Er lärda werck/ I nöjsamt niuta må
Den stänck/ som lämnas dem/ som lärdoms lön
ärnä/

Hälst och som Eder har en säll ätäncka drifwit/
Ut ytter lärdom Er/ då I berömligt skrifwit
Om ERICH Swea Kung/den Helig nämder bles/
Hwars dyra halseben det grymma swärdet kldf/

Som hans äminne städs af Swerges barnom gidmes
Wti ett wördsamf sinn: så skal et heller gidmmas
Er loford wärda stit/ den I der til har giort/
Ut nu hans drifters tahl kring werlden mer
blir spört.

Jag sägnar mig der af/ at lyefan Er så öynnar/
Och tror/ at ingen är/ som Er beröm missunnar;
Ett lägger jag här til/ min önskan ware san!
Er gifwe Himlen mer/ än jag vittala kan.

FERD. ZELLBELL.

Juveni,
Doctrinâ, morumque elegantia
Conspicuo,
DN. PETRO HSSR/
Amico suo exoptatissimo
De
Rege ERICO IX.
egregie differenti

Tempora dum repetis, dum gesta que
pandis ERICI,
Pandis & ingenii dona opulenta tui.
Rex erat ille, suo, nulli virtute secundus,
Tempore, quo vixit. Tempus in omne
cluit.
Thespiadum cultor, clariis spes blanda
Camenis,
Spes adamanda tui delictumq; chori,
Cuspide pertractans bene, quod bene ges-
serit ille
Perdoctâ, gratus tempus in omne clues.

Animo, quam calamo prolixio-
ri gratulari voluit

Petrus Hilleström.

Til

Herr Bphofsmannen

Då han detta sitt berömliga werck
med allas goda nöje vti liuset brackte.

Hwad sinnet supit in/ det munnen ofstast röjer/
Hwad i des gdmor är/ det ei på tungan dröjer.
Exempel här vppå/ man tager ei vr byn/
Wj ägom i Herr HSSR/ en härlig eftersyn/

Som stenbart wisar fram/ af böcker/ lärda Fäder/
För ett priswärdigt pres/ med en wäll flytand' häder/
Hwad genom sit och nit/ han i sin yngdoms ähr
Har samlat wida nog: Man säteds lärdom får.

En har hans dygd och wett/ den lönen redan sunnit/
At han Höglärde Måns beröm med stål nu wunnit:
Och måste Momi so!ck/ hans lärda werck som ser/
Nu ängsligt tuga still: det säja med mig fler.

En är hans heder stor; men lærer störrer blitwa/
När Lärdoms wackra Mödr en gång behaga gifwa
En flätad Lagerkrans/ til tecken att han är/
Den som för mödan sin/ af Dem bör hållas kär.

JUILLET PONTELIUS.

Politissime Domine H. H. R.

Qui Regū, principū, Virorum historias,
& praeclara facinora bona fide & accurate perscribunt, haud vulgarem multorum merentur gratiam. Est enim magna vis in exemplo magni viri ad imitandum. Si non aliis, saltem iis, quibus spes ampliores ad majora vocant. Nobis interim medio in vulgo constitutis virtutem tam sublimem, nec nisi imperatoribus propriam admirari liceat, ac venerari. Tu vero, amice, sic admiraris, ut Tibi favorem, applausumque omnium eorum, qui antiquitatis amatores sunt, concilies, dum Regis quondā gloriosissimi Erici Sancti historiam limate per textam publici juris facis. Ego certe, ut has tuas lucubrationes sub praelo sudare, comperi, temperare mihi non potui, quin amicitiam, quae mihi tecum jam diu intercedit, latitiamque incredibilem, quam ex incrementis studiorum tuorum capio, inculto licet sermonis genere, hac occasione significarem. Gratulor itaque Tibi ex toto animo, tam in hoc studiorum genere, quam in aliis haud paenitendos progressus, integritatemque morū, quibus nulli non Te gratum acceptumque reddis. Maeste Tu virtute ac diligentia, & perge, ut coepisti. Sic nullus dubites, quin spei Optimae Parentis Tuae, omniumque bonorum expectationi satisfacere queas.

Vale & fave
Tui amantissimo
ER. BODERO.

Juveni,
literis atque moribus conspicuo,
Dn. PÉTRO HÖÖR/
Amico in paucis dilecto,
Cum Pulcherrimam Dissertationem
De ERICO SANCTO
ederet.

HAud inutiliter tempus literis impendunt, qui sibi res antiquas non tantum notas reddunt, verum etiam cum aliis earum communicant notitiam: hoc enim sapientiæ & veræ eruditionis proprium est, sibi non tantum, sed & aliis sapere. Horū numero Tu merito, Amicissime HÖÖR/ annumerandus venis, qui in replicandis tot Historicorum & Avorum tuorum monumentis atq; scriptis, & aliis Tuam probas industriam, & simul studiorum specimen exhibes eximium. Ego proinde, quum inter illos sim, qui de felici rerum Tuarum successu lætantur, nec debui, nec potui, quin gaudium meum hac occasione testatum facerem. In laudes quidem Tuas irem; verum, non opus est ei colorē addere, qui proprio nitet fulgore. Meum idcirco unicum erit votum, ut in eo stadio, in quo es, pergas; metamq; attingas feliciter!
Vale.

Sic gratulatur

ANDREAS CAR. DAHLMAN.

EIDEM.

*N*escio quid laudis mereatur, mordicus est
 Invigilet Musis, qui sibi cuncta studet;
 Nam licet immersis studiis noctesque diesque,
 Exinde emergit publica nulla salus,
 Sunt meliore notâ, qui, qua didicere per umbras,
 In patria lucem promere scripta solent,
 Horum Te numero Grynæus ponit Apollo,
 Dum profers mentis florida dona tua:
 Dulcis amice, canet tua sic encomia, qui non
 Cuncta Theonino rodere dente velit,
 Quicquid apes fugit per florea rura, reportans
 In Cellas, homini dulcia mella parit;
 Sic tua per sylvas Pindi, quos Musa racemot
 Collegit, junctos nobile prabet opus;
 Dum Svonum festis pia facta coloribus orbi
 Usque suis virtus, Martyris alta docens,
 Hinc Clarius vellem rorassem guttura lymphis,
 Ut possem laudes aptius inire tuas,
 Respuit at laudes virtus veneranda solutas,
 Dum sibi sola virens lausque decusque manet.
 Te laudent alii, laudetque hocce magistrum,
 In pia dum solvor pectore vota pio:
 Hac Pindi pergas penetrando in viscera cura
 Aurea se sistet tempore vena suo,
 Viras! in studiis vigeas! fortuna virescat!
 Laurens inque fiet meta laboris honos!

Hisce adplaudere voluit

CARL JOH. LOHMAN.

Emendanda. P. 13. l. 1. lege: sane & ipsis regibus, & re-
 gno. P. 36. l. 5. leg. sequente. P. 40. l. 1. leg. sectum. P.
 42. l. 13. leg. promississe quoque. P. 45. l. 10. lege bapti-
 zantur, Cetera leuiora sunt.

* * * * *
 * * * * *



